

P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON LIBER SEPTIMVS

VXOR PERPERAM PRO FERA OCCISA

Procris, cum a quodam ambigua vox refrigerantis Cephalo mariti ad eam esset perlata, qui in venatione ex nimio aestu Auram quandam saepius invocaret, per eum errorem eo est adducta, ut viri amoris indubitet, quamobrem eum feras venantem speculata est virgultis oblecta, ut comperiret ipsa, quoniam esset Aura ista, cuius ille cupiditate impulsus, a se alienaretur. Virgulta vehementius moveri advertens Cephalus, cum latere feram putaret eo loco reconditam, iaculo emisso, non feram sed uxorem interfecit imprudens. Multis post annis Phoco, Æaci filio, de miro iaculo narrans suo, eam memorat fabulam tristem Cephalus ipse:

- Hactenus, et tacuit. ‘Iaculo quod crimen in ipso est?’
795 Phocus ait ; iaculi sic crimina reddidit ille :
‘Gaudia principium nostri sunt, Phoece, doloris ;
illa prius referam. Iuvat, o, meminisse beati
temporis, Æacidē, quo primos rite per annos
coniuge eram felix, felix erat illa marito !
800 Mutua cura duos et amor socialis habebat,
nec Iovis illa meo thalamo praeferret amori,
nec me quae caperet, non si Venus ipsa veniret,
ulla erat ; aequalēs urēbant pectora flammae.
Sole ferē radiis feriente cacumina primis,
805 venatum in silvas iuvenaliter ire solebam,
nec mecum famuli nec equi nec naribus acres
ire canes nec lina sequi nodosa solebant :
tutus eram iaculo. Sed cum satiata ferinae
dextera caedis erat, repetēbam frigus et umbras
810 et, quae de gelidis exibat vallibus, auram :
aura petebatur medio mihi lenis in aestu,
auram expectabam, requies erat illa labori.
“Aura,” (recordor enim) “venias”, cantare solebam,
“meque iuves, intrasque sinus, gratissima, nostros,
815 utque facis, relevare velis, quibus urimur, aestus !”
Forsitan addiderim (sic me mea fata trahēbant),
blanditiās plures, et : “Tu mihi magna voluptas,”
dicere sim solitus, “tu me reficisque, fovisque,
tu facis, ut silvas, ut amem loca sola : meoque
820 spiritus iste tuus semper captatur ab ore.”
Vocibus ambiguus deceptam praebuit aurem
nescioquis, nomenque aurae tam saepe vocatum
esse putat nymphae : nympham me credit amare.
Criminis extemplo ficti temerarius index
825 Procrin adit, linguaque refert audita susurra.
Credula res amor est : subito collapsa dolore
(ut mihi narratur), cecidit ; longoque refecta
tempore se miseram, se fati dixit iniqui,
deque fide questa est, et crimine concita vano,
830 quod nihil est, metuit, metuit sine corpore nomen,

et dolet infelix veluti de paelice vera.
Saepe tamen dubitat, speratque miserrima falli,
indicioque fidem negat, et, nisi viderit ipsa,
damnatura sui non est delicta mariti.
835 Postera depulerant Aurora lūmina noctem :
egredior, silvasque peto, victorque per herbās :
“Aurā, veni,” dixi, “nostrōque medere labori !”
et subito gemitus inter mea verba videbar
nescioquos audisse ; “Veni,” tamen, “optima !” dixi.
840 Fronde levem rursus strepitum faciente caduca,
sum ratus esse feram, telumque volatile misi :
Procris erat, medioque tenens in pectore vulnus :
“Ei mihi”, conclamat ! Vox est ubi cognita fidae
coniugis, ad vocem praeceps amensque cucurri.
845 Semianimem et sparsas foedantem sanguine vestes
et sua (me miserum !) de vulnere dona trahentem
invenio, corpusque meo mihi carius ulnis
mollibus attollo, scissaque a pectore veste
vulnera saeva ligo, conorque inhibere cruorem,
850 neu me morte sua sceleratum deserat, oro.
Viribus illa carens et iam moribunda coegit
haec se pauca loqui : “Per nostri foedera lecti,
perque deos supplex oro superosque meosque,
per si quid merui de te bene, perque manentem
855 nunc quoque, cum pereo, causam mihi mortis, amorem :
ne thalami Auram patiare innubere nostris !”
dixit, et errorem tum denique nominis esse
et sensi, et docui. Sed quid docuisse iuvabat ?
Labitur, et parvae fugiunt cum sanguine vires,
860 dumque aliquid spectare potest, me spectat, et in me
infelicem animam nostrōque exhalat in ore.
Sed vultu meliore mori secura videtur.
Flentibus haec lacrimans heros memorabat.